

Manducaverunt et saturati sunt omnes.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam 9, 11 b-17

In illo témpore:

^{11b} Loquebátur Iesus turbis de regno Dei,
et eos, qui cura indigébant, sanábat.

¹² Dies autem cóperat declináre;
et accedéntes Duódecim dixérunt illi:
«Dimítte turbam,
ut eúntes in castélla villásque, quæ circa sunt,
divértant et invéniant escas,
quia hic in loco desérto sumus».

¹³ Ait autem ad illos:
«Vos date illis manducáre».
At illi dixérunt:
«Non sunt nobis
plus quam quínque panes et duo pisces,
nisi forte nos eámus
et emámus in omnem hanc turbam escas».

¹⁴ Erant enim fere viri quinque mília.
Ait autem ad discípulos suos:
«Fácite illos discúmbere
per convívia ad quinquagénos».

¹⁵ Et ita fecérunt et discúmbere fecérunt omnes.

¹⁶ Accéptis autem quinque pánibus et duóbus píscibus,
respéxit in cælum et benedíxit illis et fregit
et dabat discípulis suis, ut pónerent ante turbam.

¹⁷ Et manducavérunt et saturáti sunt omnes;
et sublátum est, quod supérfluit illis,
fragmentórum cóphini duódecim.

Verbum Dómini.